

Digitized by Google






D. ANTONII HOVAEI HAECMVNDANI ABBATIS ECHTERNAcensis, Odarum, precum, Hymnorum vario, & nobiliore carminum genere cõcinnatorum liber.



COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
M. D. LXVI.



AMPLISSIMO PLVRIMARVM VIRTVtum Heroï, ac vnico Mecænati Musarum, Domino Viglio Zuichemo. S. P.



Quanquã & aduersa valetudine valdè afflictus, & varijs, ijsq; admodũ molestis occupationibus iam immersus eram, tamen adeo, vir amplissime, interdũm me iucũdissima Musarum, aliorumq; studiorum meorũm titillat memoria, vt cogar eas ipsas Musas velim nolim, nonnunquã quasi postliminio inuisere, tametsi me tanquam perfugam: & perduellionem quendã modò parum blando, ac renidenti vultu aspiciunt, ac cõtemplantur, nuperrimè tamen arrepta occasione aliquot sacras iuxtà, ac ni fallor pias precatiunculas diuerso, eoq; elegantiore carminum genere, ab illis propemodum inuitis extorsi, idq; non, tam, vt aut Pin-

 daro,

daro, aut Horatio, licet nonnunquam cum ipsa antiquitate, cuius summoperè admiror eruditionem, certare voluerim, quàm vt ingenioli mei quantulascunq; vireis, varijs in rebus periclitarer, atq; exercerem: vt vel sic in oratione pedestri exprimerem luculentius, tum verborũ sonum, tum numerum sententiarũ. Nam nemo, vt mea fert opinio, potest vsurpare orationem numerosè, apteq; cadentẽ, nisi prius in re Poëtica sit quàm diligentissimè versatus. Cuius præclarę rei, multorum iudicio, omnium primus, perfectusq; fuit inuentor Isocrates. Quæ, si quidã animaduertissent, qui iã in literis clarissimi sunt, potuissent me hercle seipsis multo fuisse clariores. Hasce autẽ preces in præsentia tibi non modò solidæ laudi, ac nunquam intermoriture gloriæ, verumetiam omnibus hominibus iuuandis nato & educato, sicut omnia mea mitto, dedicoq;. Propterea autem hæc numeris potissimum modulatus sum, quod existimo omnium rerũ conditorem

ditorem Deum, vt ipse nihil non aut ordine, aut numero, aut mensura creauit, carmine magis, quàm prosa delectari. Idem mihi spectasse videre videor, claros, ac in primis celebres Israëliticos Heróas, Mosen, Iobum, Dauidē, Hieremiam, Daniëlem, qui ea hymnis, canticis, lamentationibusq́; ædiderunt, quæ posterorum suorum animis, intimisq́; præcordiorum venis inhærere voluerunt. Qua in re egregium astipulatorem habeo mihi non tam nomine, quàm re, verè magnū illum Basilium. Iam carminis originem ab vniuersorum effectore Deo esse, manifestius est, quàm vt à me debeat demonstrari. Quomodo enim pulcherrima hæc cæli, mundiq́; machina constaret, nisi illam ipsam conditor ille admirabili, & pergrata harmonia, certaq́; ratione, veluti metro quodā regeret, moderaretur, ac gubernaret? Quapropter minimè errat Strabo, qui contra Erathostenem perpulchrè docet, Poëticen non modò alijs artibus antecellere, verum-

tiã omneis arteis in se continere. Quo maiori odio dignum sit eorum institutum, qui Venereis lenocinijs, re omnium pulcherrima, ad suam libidinem, non verentur abuti, & Diuinum hoc immortalis Dei donum, tanquam maculare. Quos vtinam malè feriatos ad saniorem mentem reducere, & ad perpetui Numinis sanctissimas laudes celebrandas, possem hac extemporali lucubratiuncula inflammare. Iam de orationis incomparabili cum gratia, tum eminentia præstat omninò silere, quã pauca dicere, cum nihil sub hoc amplissimo cæli ambitu, ac complexu sit, tam vel laude excellẽs, vel vsu necessarium, quod cum orationis ex corde demisso, vereq; humili promanantis possit comparari dignitate. Cuius mehercle ea vis est, nemo vt mortalium eius splendorem, & amplitudinem cogitatione comprehẽdere, nedum vlla orationis vbertate, & vehementia queat explicare. Huius, huius, inquam, ea est potentia, vt olim tribus illis pueris an-

nos

nos præclara indole peregriè supergressis æstuantem flammis fornacem extinxerit, Daniëli iamiam deuorando hiantium, rapidorumque ora leonum obturauerit, Diuo Petro horrenda repagula, ferreasq; ianuas aperuerit, Helię cœlum ne toto triennio, eoq; diutius plueret occluserit, atq; denuò, vt solitis imbribus sitibundos agros irrigaret recluserit. Et quid plura? Sola oratio nobis est, quod Sol in firmamẽto. Quippè quæ sola inuictum patrem cœlestem potest vincere flagitando. Hæc eadem est æternæ vitę cõciliatrix, teterrimoq; Diabolo telum omnibus modis metuendum. Per supplicem orationem, quoties visum fuerit, cum sospitatore omnium Deo suauissima continenter colloquia misceamus. Quod quamuis ita sit, tamen valde ponderãdum est, primum vt sciamus, ecquid tandẽ sit, quod à creatore Deo postulemus. Nã scitũ ac admodũ præclarũ est illud Senecæ, Sic loquamur cũ Deo, tanquam homines exaudiant:

ſic agamus cũ hominibus, quaſi Deus videat. Plurimi enim ab illo cauſſarũ Principe Deo petunt ea, quę vix viliſsimis, iisq; proletariis hominibus, præ pudore, auderent indicare. Verbi gratia, alius affectat formoſam, nobilem, morigeram, beneq; dotatam vxorem: alius deſiderat præſtabileis, egregioſq; honores: alius ambit ampliſsimas opes, atq; diuitias. Atqui hæc omnia vſqueadeò non ſunt in bonis ponẽda, vt paucis ſaluti, multis exitio, nulli ſolidæ fuerint, aut gloriæ, aut felicitati. Quocircà omnis, qui cupit ex deprecatione ſua vberes fructus referre, & non fruſtrà immenſam ac infinitã Dei benignitatẽ conuenire orando, primũ petat peccatorũ ſuorum veniã, & expiationem. Deindè quæ concupiſcit, quàm humilimè, atq; animò minimè fucato ſempiterno Numini ſumma cum fiducia, proponat. Poſtremò totum ſe commẽdet, dedat, deuoueat, atq; reſignet, quæ iniqua eſſe nequit, Diuinæ voluntati. Verum criminum ſuorum illam

Quid à Deo petendum.

molem

molem cognoſcere nemo poteſt, niſi qui ſibi prorſus diffidens ſoli miſericordiæ Dei innitatur. Quãuis bona mortaliũ pars, prô dolor, adeò amens, & obcæcata ſit, adeoq́; ſibi abblandiatur, vt lapſus ſuos cernere nolit, neq; reuoluit animo, quàm remota ſit ab excelſo, ſublimi, ac generoſo illo pietatis candore, quam perfectiſsima illa mens, quam ominum cauſſarum Principem meritò vocamus à nobis poſtulat, exigit, requiritq́;. Hinc fit, vt ſua freti homines virtute, in vtramq́; aurem dormiant, ingentiq́; temeritate ſibi cõfidant. Putentq́; ſe genuinos, ac germanos Chriſtianos, cum longius quàm à Philomelis coccyges, à Chriſto Deo abſint. Quamobcauſſam in fronte huius libelli conati ſumus angores ac anguſtias afflictæ & perterrefactæ conſcientiæ iram Dei formidantis nequaquã tamen animum deſpondentis, vtcunq́; adumbrare. Quæ tu, ô vir magne, qualiacunq́; tãdem ſint, pro ingenita innataq́; tibi facilitate melius diiudicabis,

 atq́;

atq; ea cum per ingentem, qua perpetuò diſtinêris, occupationum mole, licuerit vel ſemel tibi putabis pellegenda. Carminum genera propterea non indicauimus, quod qui Poëticen vel primoribus labris deguſtauerint, illa facillimè diſcernant. Vale vir omniũ, quos Sol videt præſtantiſsime, meq; ſolita humanitate, & ſingulari beneuolentia, qua hactenus fouiſti, proſequere. Raptim ex Appollinis villa, vulgò Bollendorff, Anno. à partu virgineo. 1 5 6 5.

Tuæ eminentiæ deditiſsimus,

Antonius Houæus Hæcmundanus.

Ad Do-

Ad Dominum Viglium Præsidem.

VIgli magnificis orte parentibus,
Et uirtute tua, nobilis & potens:
Hæc mittit tibi nunc præsidio suo,
Vates ille tuus corpore languido.
Magnos magna decent, ut fateor quidem,
At nos parua damus, paruaq; mittimus:
Quod te digna graui non cano barbito:
Cum sis orbis honos, ô uir amabilis.
Pelleus iuuenis natus ad ardua, Alexander
Cous se uoluit pingeret artifex:
Tantum & Pyrgoteles cuspide sculperet:
Non quemuis ita tu, te celebret sinis.
Sumo ast ipse libens hanc operam tamen,
Vitam si dederint, fataq; prosperam:
Flacco dulcisonam præripiam chelyn,
Et clangam cythara Pindaricum melos:
Quamuis me rapiant litterulæ sacræ,
Auertantq; suis prorsus amoribus:
At quid Niliacos exuere, & bonis,
His templũ, & Domini condere me uetat?
Israël Domino morigerus suo, Exodi 12.
Sic fecit proprium dum repetit solum.

Ea

Ec quis cum populo ſubtimet inclyto:
Pulchrè cum ſpolijs uiuere gentium?
Aſt ad te redeo, uir placidiſſime,
Gaudes aureolo, qui modo uellere:
Esq́; in delitijs ob niueam fidem
Regi, quo melius Sol uidet hic nihil.
Hic Rex nobilium eſt gloria Teutonum,
Felix Auſtriacos, qui numerans auos,
Claret Ceſareo ſanguine præpotens,
Ac regale caput nubibus inſerit.
Verum uiue pater maxime patriæ,
Vigli uiue precor, delitium, & uale.
Sano in corpore Mens ſit tibi florida:
Claro donec ages lætus in æthere.

CON-

CONFESSIO GRAVISSImi cuiusuè rei, ad Dominum Deum Optimum Max.



Præpotens ô maxime,
Cæli creator, & soli:
Qui cuncta torques, & regis,
Haud desituro Numine.
Qui solus es sanctissimus,
Solus Deus mirè pius:
Non morte delinquentium
Gaudens, sed horum fletibus.
Cuius uiget clementia,
Et terminos humanitas
Nullos habet, qui nos amat,
Licet malis penè obrutos,
Huc huc pater dulcissime,
Aureis tuas huc admoue:
Ad te gementem ne pater,
Spernas precor clientulum.
En clamo toto pectore,
Ad te suprâ spem sydera
Librans, & istud corculum:
Pandens tibi Deus meus.

Audi rogo suspiria
Permista, tot singultibus,
Queis me misellum, prô dolor,
Læsiße te nunc conqueror.
Quàm me pudet uitæ meæ,
O mi Deus ter optime:
Fontem quod ipse te sacrum
Heu sæpius liqui miser.
Indignus ut terram teram,
Ab sum modis uel omnibus:
Aut hos ocellos ut leuem,
Ad te patrem charissimum.
Tantis, tot & grauissimis
Contaminata sordibus
Est uita, quam miserrimè
Heu hactenus duxi improbam.
Decreta neglexi tua,
Factu licet prædulcia:
Nec tam tui, quàm proprio
Exarsi amore perfidus.
Hinc perpetraui peßima,
Peiöra semper percrepans:
Et cogitaui, quæ pudet,
Tibi fateri clanculum.
Hinc sentio me luridis

Cir-

Circumlatrari noxijs,
Quæ me mouent, premunt, grauant
Formidolosum turbine.
Si fugerit uultum tuum
Adamus ob crimen parens,
Vt mi uidetur, non graue,
Heu heu quid ipse moliar?
Quid nunc agam? quò me feram?
Qui prouocaui sæpius
Iram tuam, ô iustissimê,
Atq; hoc opella dedita?
Num consulam mihi fuga,
Vt sic manum euadam tuam:
Quæ tendit ad summos polos,
Profunda nec non Tartara?
An mole tanta criminum
Prorsus grauatus, nil mihi
Vltrà relictum sit spei,
Veræq; pœnitudinis?
Me me fugæ committere
Nil profuturæ displicet,
Nec perplacet fiduciam
Ex corde sic explodere.
Imò libet uelociter,
Ad te patrem uerè pium,

Sanctum bonum placabilem,
Gressu citato currere.
Obuoluor en genu tuo,
Palmas & has en eleuo,
Plorans, gemens, flens, obsecrans,
Vt mî uelis ignoscere.
Ah deleas in gratiam
Nati tui piacula,
Quæ carne me circundatum,
Heu penitet fecisse me.
Peccata sunt quidem mea
Permagna, sed maior tua
Est, mi Deus, benignitas:
Qua me beatum prædico.
Non percutis nos, ut scelus,
Et culpa nostra postulant:
Ast ut pater mitissimus,
Proleis tuas nos corrigis.
Tam perspicax, ut noueris,
Tam præpotens es, ut queas:
Es tam suauis, ut uelis:
Iam nunc misello parcere.
Danielis 13. Susanna sensit dexteram
Olim tuam, morti licet
Vicina, cum frequentibus

Te per-

Te permoueret lacrumis.
In uentre cæti maximi,
Vatem tu Iónam protegis: Ionæ.2.
Dum pulsat ille sedulò,
Aureis tuas medullitùs.
Sic sic fac ô pater mihi
Obtestor, & audi preces,
Quas fundo. Nam quid mitius,
Fingi potest te mî Deus?
Me quæso tandem respice,
Me rore Christi sanguinis
Fuliginosum crimine,
Virtute redde candidum.
Firma tuo me spiritu,
Posthac ut ambulem piè,
Purè, innocenter, integrè,
Vel, ut cupis me uiuere.
Hoc oro per genitum tuum,
Quem diligis tenerrimè,
Semper sacro cum Flamine,
Qui faustus aßidet tibi.

Alia confeßio coram Piatore Flamine.

En confitetur os meum,
Et cor simul tristißimum

Deo, Diali & Flamini,
Quæcunq; commisi miser.
Non cogitaui sedulò,
De Conditore Numine,
Et magnitudine illius:
Cui dedicatus ipse sum.
Me plus mouent præsentia,
Quàm sempiterna gaudia:
Hinc raro uoce tinnula,
Laudeis creamus uiuidas.
Exempla non pulcherrima
Fratri dedi, quiui licet:
Contrà sed ipse obstacula,
Incautus ægris præbui.
Egi Deo non gratias
Noctu diúq; maximas,
Donis suis pro splendidis,
Quæ contulit mihi improbo.
Non Præsuleis sanctissimos,
Nec Principes clarißimos,
Humanitate prosequor,
Vt debeo purißima.
Discordias amo uolens,
Rixasq; nec fugi malas:
Possem tamen cùm uiuere,

In pa-

In pace tranquillus bona.
Iratus euomo mala,
Coërceo nec hos satis
Motus in ipso pectore,
Ebulliant quin iugiter.
Fidelis haud nec diligens
In munijs fui meis,
Curans magis terrestria,
Quàm corda mihi credita.
Non candido pectusculo
Vixi, sex ipse suspicax:
Iniusta sumpsi iurgia,
Quæ perperàm foui diu.
Synceritas amabilis,
Et ueritas durabilis,
Non sic amata sunt mihi,
Sicut pium uirum decet.
Non consecraui corpus hoc,
Templum sacrato Flamini:
Nec corculum leuo meum,
Ad celsa semper sydera.
Seruis meis sum turgidus,
Nec iusta mercenarijs
Soluo repentè debitor:
Licet queam persoluere.

Tempus supernè mî datum
Non collocaui commodè,
Ad gloriam Dei mei;
In gratiamq; proximi.
Potu ciboq; diffluens,
Et uestibus mollißimis
Circundatus, frigentium,
Nec pauperum sum sat memor.
Affectionibus meis
Non restiti quamuis malis.
Morem gerens plus corpori,
Animæ meæ quàm consulens.
In his, ijsq; æqualibus
Prorsus reum me prædico,
In cæteris quæ me latent
Me reddo non innoxium.
Senatus pro ecclesia dixit
Te mi Pater nunc obsecro,
Vt me uelis senatui
Nunc sacrosancto iungere
Cristiq; membris reddere.

ODA, HEXAMETRO IAMBIcoq; Dimetro in Dominicam orationem paraphrasticῶs.

Summe pater, qui summa colis, qui cuncta gubernas,
Orbis decus, laus, gloria,
Quò te cunq; refers dio uenerabilis ore,
Te cœlitum chorus colit,
Quamuis indigni natorum nomine simus,
Patrem tamen te dicimus.
Nam facit audaceis, effuso sauguine Christus,
Suffixus olim stipiti:
Vt meritò nobis uerus Dominusq;, paterq;,
Sis & salutis anchora.
Huc oculos conuerte tuos, aureisq; benignas,
Et quos creasti confoue.
Tu pater es noster, tu lux, uia, gloria, uindex,
Lucem incolens pulcherrimam.
Tu uirtus, tu spes, requies tu certa laborum,
Tu uita cuncta continens:
Eia, age, sit sanctum nobis prænobile nomen,
Quo prædicaris maximus.
Te celebret cœlum, te totus mundus adoret,
Te te tremant & inferi.

Rex etenim regum, suprà flammantia mundi,
Verus Deus tu consides.
Sit nobis in delitijs tua sancta uoluntas,
Quam quærimus potißimum.
Vtq; fit in cœlis, sic mos tibi ritè geratur
In ualle lacrumantium.
Cœlitibusq; pares Domino ducamur ab uno,
Quo dulcius nil Sol uidet.
Pasce tuas solidis escis, uerboq; potenti:
O pastor has teneras oueis,
Vt nobis cordi, uel sit tua gloria sola,
Qui nos alis tam prodigus,
Atq; remitte tuis scelera ô pater illa precamur,
Nomen tuum queîs læsimus.
Nõ secus ac nostro nũc fratri ignoscimus ultrò,
Si leserit nos quispiam.
Et quia mirandis plena est hæc uita procellis,
Tentator haud uincat tuos.
Te Duce da Stygij superare satellitis arteis,
Nostrum sitit qui sanguinem.
Et tua nos seruet bellatrix dextera tutos,
Auertat & pericula.
Nempè tibi regnum, tibi sunt diademata soli,
Tu sceptra solus poßides.
Solum te, & semper Christũ tua uiscera Iesum,
Fla-

Flamenq; sacrum agnoscimus.
Te Dominum multis pulsamus fletibus unum,
Vt nos tuos ad te trahas,
Inter pennatasq; acies, sedesq; beatas,
Sic te colemus iugiter.
Hîc ubi luminibus radiantibus omnia lustras,
Fons ipse totius boni,
Atq; tuis mittis, cornu prædiuite, rerum
Pulcherrimarum copiam.

Oda ab Iesum Christum Deum.

Christe Deus summi, laus, & sapientia Patris,
Respice nos miseros:
Respice nos miseros, te ardentes pectore toto,
Visceribusq; suis.
Cum te pollicitus nobis sis affore semper,
Eia, age, prosper ades.
Nec te cõmoueant nostræ intus, et in cute labes:
Nam tua membra sumus.
Tu caput es nostrum, tu nobis unica spes es,
Perfugiumq; simul.
Tu fons ipse boni, requies tu mentis amœnæ,
Sanctaq; pax animi.

A te, quottidiè solo pendemus hiantes,
Confer opem famulis.
Qui te cognoscunt, cunctis in rebus asylum,
Lumen & in tenebris.
Magna quidem profitemur enim cumulauimus omnes,
Crimina criminibus.
At quis diffidat, cum sis pius, & Deus omnis
Fons & origo boni.
Et dextram claudas, super alta cacumina cœli,
Aßideasq; patri.
Necnon nostra tuis roseis, Medice optime, curas
Vulnera uulneribus.
Hic ubi iam, radijs, rutilas fulgentibus agnus
Sydere splendidior.
O ter felices tali, tantoq; patrono
Nos, quibus hic datus es:
Quis siquidē poterit iā intercessore repulsam
Te pie Christe pati?
Tu fragilem casta sumpmsisti è uirgine carnem,
O Deus orbis amor.
Factus homo, nos ut Diuinos reddere posses
Sanguine purpureo.
Occidis heu tādem, sed morte peremptus es ipsi
Vi=

Victima chara patri.
O amor, ô pietas, delesti scripta Tyranni
In cruce Tartarei.
Atq; ità celestis reserasti splendida regni,
Ostia grata pijs.
Vt simus memores istorum, carnea reddas
Pectora marmorea.
Ne posthac quenquam quã te spectemus Iësum,
Omnibus ut scopus es.
Des curas calcare humileis, des maxime rerũ
Nos tua iussa sequi,
Vt te perpetuum supera uideamus in aula,
Cum genitore Deo.
Et Flatu sancto, qui nobis gaudia præstet
In saturabilia;
Atq; huc illustreis perfundat pectore roreis,
Nectar, & Ambrosiam.
Nil ultrà precor, hæc uoti est, pulcherrime Iësu,
Summa caputq; mei.

Oda Sapphica Spiritui sancto sacra.

Spiritus summi patris, atq; Nati
Maximi, uirtus, amor, & uoluptas,
Huc ades tandem, decus ô piorum,
Numine dextro.

Huc ades splendor, uia, uita, lumen,
Eia ades tandem tenebrasq; densas
Pelle, nam solus potes ipse nostras
Tollere nocteis.

Tu sacræ magni sobol i Tonantis
Insidens, forma niueæ columbæ,
Quæ forent nobis facienda, dio
Lumine monstras.

Iacta nam uox est Patris has per auras,
Est hic hic uerus, meus ille Natus,
Charior nobis oculis, uel ipsi,
Arrigite aureis.

Deindè bissenos facibus Legatos,
Igneæ linguæ referens decorem:
Innouas, illis, aciemq; mentis
Luce reformas.

Luce qua uitæ documenta tradis,
Et doces quosuis genus omne laudum:
Ac rigas ueræ pluuijs salutis
Arida corda.

Vnge nos sancto pietatis æstro,
Arte uirtutis, Fideiq; oliuo:
Vt resistamus ualidis cruento
Viribus hosti.

Dona

Dona qui nobis tua tam sacrata
Inuidet, nostram sitiens ruinam:
Vt fuit semper uafer, & adhuc est
Lerna malorum.
Tu sacrum inspiras Superis amorem,
Tu pios nutris epulis Deorum:
Ah foue nostros animos, nigramq;
Ablue labem.
Dißipa quicquid tibi displicere,
Aut potest puræ nocuisse uitæ:
Vt pares clarum radijs cubile in
Pectore nostro.
Principes nostri recreentur aura
Cælitûm, quò pax, honor illibatus,
Aureus mundo redeat pudorq;,
Diuite cornu.
Des uelim nostro uenerande Regi,
Cum suis pacem, solidosq; honores:
Da bonam mentem, superoq; dignos
Numine sensus.
Ne sinas posthac alio calore
Igne, neu flamma famulos peruri:
Quàm tui grati stimulis amoris,
O sacer ignis.

Grati

Gratiam fundas opifex nitentem
De super, quæ nos miseros beabit,
Coget & mœstos sinè fine, lætas
Dicere laudes.
Vt nihil castis placeat tuorum
Cordibus, quâm laus genitoris almi,
Filij qui nos proprij redemit
Sanguine fuso.
Cum quibus felix regis, & gubernas
Cuncta: quæ sub sunt duplici Boötæ:
Flamen immensum, pariter Deusq́;,
Ternus, & unus,

Oda diluculo ad Deum constat carmine As.

O æterne Deus qui regis arduos,
Cælesteisq́; globos, corpora syderum
Exaudi famulos, nunc, age, mi Deus
Oranteis prece supplici.
Grateis perpetuas, en agimus tibi,
Nobis quòd tacita nocte peperceris:
Et quòd non fragileis sìueris emori
Nos in nequitia tuos.

En

En Sol exoritur iam aureus, & diem
En Aurora rubens aduehit, ut solet,
Nunc nunc omnipotens Optime, maxime,
Dio Flamine nos riga.
Es tu sol etenim perpetuò micans,
Illustrans tenebras, nec tamen occidis.
Infundis miseris, sed decora inclyta,
Qui fidunt tibi sedulò.
Nobis deme Pater pondera criminum,
Quæ nos eccè grauant, ac nimium premunt:
Necnon clara sinunt tollere lumina,
Ad te munificum Patrem.
Tu nobis Pater es, nos tibi filij,
Tu pastor bonus es, nos humiles oues,
Ne nos uermiculos oderis obsecro,
Quos fecit tua dextera.
Sed sis præsidium conditor unice,
Ac tutela tuis, qui tibi supplicant.
Hæc ut prætereat lux peramabilis,
Te semper duce præuio.
Ducas nos agileis per uada deuia
Vitæ, uana Notis, quæ fugit ocyor,
Atq; obiecta iacet mille periculis:
Nec durare potest diu.

Fac seruire tibi pectore nos graui,
Præter te neq; nos quærere quippiam,
Tu solus siquidem sufficis omnia
Charis filiolis bona.
Vnus tu satis es multa petentibus,
Desunt multa, bene est, cui tribuit
(Deus
Præclaram faciem cernere perpetim,
Post hoc exilium, suum.
Hæc est summa precum, quas tibi fun-
(dimus
Hoc donare uelis per genitum tuum:
Qui tecum rutilo regnat in æthere,
Cum spiramine fulgido.

Oda vesperi dicenda eodem genere.

O rerum sator & fons sapientiæ,
Cuius nos bonitas erudit, & polit:
En noctis tenebras Hesperus inuehit,
Et Phœbus radijs caret.
Nunc, quæso, tenebras disijce nubilas,
Et nos irradia lumine uiuido:
Quamuis nos uitijs noueris obsitos,
Heu heu degeneresq; iam,
Israël

Iſraël toties te quoq́; læſerat,
Ignoſti tamen huic fœdere patrio:
Olim quod proprio Numine ſanxeras,
Electo populo fauens.
Nobis nobilius, fœdus at inditum
Eſt, in purpureo ſanguine filij:
Quē præfers geminis luminibus pater.
Quo nil gratius eſt tibi.
In Chriſti Domini reſpice quæſumus
Vultum, qui Pater ô uictima factus eſt,
Ac tandem oppetijt in cruce Veiouis,
Mortē morte ſua necans.
Hic nos conſtituit pignora dulcia,
Hæredesq́; tuæ ſedis Olympicæ:
Per quem noſtra ueuit glorificās ſalus,
Nunc et mirificum decus.
Sis nobis igitur perfacilis Deus,
Iſtam per ſobolē ac iam requiē precor,
Et ſomnum placidum des ſinè ſomnijs
Vt mentes uigilent piè
O deſiderium, grataq́; ſpes tuis
Incorrupta Fides, Laus, Via, Veritas,
Huc huc ô uenias: gloria maxima,
Et nos reſpice deſuper.

Tu nos

Tu nos brachiolis stringe capacibus,
In moremq; hederæ iam tibi colliga:
Et fac nostra tibi corda liquescere,
Dulci lætitia ac metu.
Hoc, concede, Pater per sobolem tuam,
Quæ tecum niuea sceptra manu gerit:
Ac fulgens roseo iam diademate,
Sublimi solio residet.

Oda pro impetranda criminum expiatione. Carmen est Iambicum.

Rerum satôr, sacer Deus, ter optime,
Et clare cælitum pater,
Qui triplici torques, regisq; Numine
Orbeis micanteis syderum.
Qui cuncta quamuis dirigas cælestia,
Terrasq; & humanum genus:
Nullus labor lassum grauare te tamen
Potest, nec ulla sarcina.
Et des licet, quæ nutriunt uel omnia,
Cælo sub hoc degentia.
Ob id tamen nullas opeis profundere
Vales, sed haud exhaustus es.
Omneis iuuas, qui uoce tristi te inuocant:

Vi-

Vireis nec eneruas tuas.
O quàm pius, quàm diues es, quàm præpotens,
Qui poßides tot munera.
Non indiges quoquam, tibi sed sufficis,
Solus potes laudare te.
Veruntamen semper boni tu consulis,
Quòd te pij simul crepant,
Et maximè scelus suum cum prædicant,
Pleno fatendo gutture.
Tum gratiam soles benignus mittere,
Et corda nostra pascere.
Nunc nunc amande pastor, ah nos respice,
Quàm delibuti sordibus
Simus: licet creaueris nos puriter,
A fecibus mortalium.
Eheu pater uestem tuam tam candidam,
Donaueras qua nos bonus,
Iam fecimus, sic ut uides heu fusculam,
Cæno lutoq; criminum.
Quid quod supreme rector ô clarißime
Te spreuimus sæpißime?
Te, quo nihil uel pulchrius, uel sanctius
Natura rerum continet?
Verùm Pater, quanquam hæc fateri cogimur,
Ne tu tamen nos oderis

c Idcir=

Idcirco, quos olim benignitas tua
Dextra potenti condidit:
Et quos sacro Nati tui uel sanguine,
Iam reddidisti liberos.
O nos beatos hac pia clementia,
Tam in nos profusa & obuia:
Fac ore iam laudemus uno te patrem,
Omnes tuumq; filium,
Ignem sacrum tuiq; sancti Flaminis
Infunde nostris sensibus:
Vt tantum agamus illa semper quæ placent,
Et nil tibi quod displicet.
Pro saxeis rogamus, ut des carnea
Nobis creator pectora.
Vt te colamus, ut decet, perennibus
Cum canticis, tum laudibus.
Nil corda præter te Deum desiderent,
Nil somnient, nil cogitent.
Ac Mens anhela se leuet supra aurea,
Istinc polorum delubra,
Vt te fruatur tam superstes, quàm horrida
Post Fata, quæ cunctos manent.
Nec te minus placabilem tunc sentiat,
Tribunal ad iustißimum,
Quàm nunc creatorem pium, sanctum, bonum,
Quem

Quem nouit & mitißimum.
Tum strangulatis hostium Phalangibus,
Cunctisq; ad unum perditis,
Qui Carne, Mundo, nos tuos deglutiunt,
Vulpes ut astu pullulos:
Pæāna præclarum canemus sedulò,
Iô triumphe, io Deus.
Sic nominis tui uolabit ocyus
Numen, per orbis angulos:
Per Seras, Indos, efferumq; Caucasum,
Vtramq; Solis & domum.

AMEN.

CONSECRATIO MENSAE,
Iambicum Dimetrum Catalect.
Terentianus vocat Saturnium

O Plenitudo rerum,
Sacer Deus Deorum:
Extende deprecamur
Manum tuam potentem,
Et redde consecratum
Potum, cibumq; nostrum:
Vt sobriè fruamur,
Donis tuis ouantes.

Gratiarum actio.

En gratias perenneis
Persoluimus libenter,
Tibi Parens benigne.
Et te Rogamus omnes,
Verbo tuo salubri
Hic nutrias labanteis,
Post fata quoq; pascas,
Nos pane sempiterno.

Alia mensæ consecratio.
Adonicum.

Summe Creator,
Maxime rerum:

Vis,

Vis, uia, lumen,
Et Decus orbis:
Hûc precor adsis,
Et tua sancta,
Fac modò prosint
Munera nobis,
Te duce Christe.

Gratiarum actio.

O pater alme,
Lucide mundi,
Fons & origo,
Qui regis alti
Aetheris orbeis,
Fac tibi seruos
Soluere puro
Pectore grates
Auspice Christo.

AMEN.

ODA AD AETERNVM PAtrem Domini nostri Iesu Christi cum mentione sacrosanctæ Triadis in graui persecutione inimicorum.

Hendeca.

O Rex cœlicolum, salus amata:
Lux, & præsidium, decus, uoluptas,
Rerum Conditor, atq; sospitator
Aeterne omnipotens, sacer, benigne,
Qui cum Prole pia Parens beatus
Regnas, perpetuos Deus per annos:
Qui ornasti sobolem insidens Olympo,
Nimirum omnibus audienda uerba,
Solus quæ æderet ille uoce dulci,
Blando & gutture, & ore pruriente.
Et qui Numine Spiritus salubris
Afflasti piëtate delibutos,
Bis senes Proceres, sacros Legatos:
Te nunc inuoco supreme iudex,
Ad te tollo animum tibi sacratum,
Plorans anxius, acriter gemensq;,
Per Natum rogitans tuum perennem:
Vt mi subuenias dolore fracto
Ingenti, & recreës amoris igne,

Hoc

Hoc pectus glacie, niue & gelatum,
Me spiramine prepotenti firma:
Nullos ut timeam æmulos malignos,
Qui nostrum sitiunt truces cruorem,
Et nostris inhiant palam medullis.
Horum consilium manu potenti
Tandem disijce, qui soles Houæum
Securum in gremio tuo locare,
Vt prolem & tepido sinu fouere.
Si tu sis columen mihi labanti,
Non aßis faciam canes latrantes.
O si fulgeat illa lux beata,
Qua te, me, uideam meum Patronum,
Tollentem citò, quod satis superq; est,
Ex hoc terribili timoris antro,
Heu quod me sequitur ueluti umbra corpus:
Quas grateis referet Thalia nostra,
Læto pectore tibi, mi Creator?
O tandem ueniat dies ille faustus,
O nil amplius ipse concupisco.

Oda alia in eandem sententiam,
Eligaicum est genus.

Christe parens rerum, pariter quies Numine eodem,
Vera Dei soboles, uerus & ipse Deus.
Hûc ades æternæ spes indubitata salutis,
Atq; fac his uotis pondus inesse meis,
Tu propriæ uitæ nostrum præponis honorem,
Vis tuus ut noster, sit genitorq; pater.
Hostia tu nostra es, nos nos commisimus omnes
Hoc, q̧ purpureo sanguine, Christe luis.
Immortalis eras, mortalia iura subire,
In nos grandis amor compulit ille tuus.
Cur te Nate Dei sublimem inseris imis:
Cur Deus humanos appetis ipse lareis?
Nempè ut nos humileis, uel sic cælestibus illis
Cætibus insereres, efficeresq; Deos.
O amor, ô pietas, offers uenerabile corpus,
E cruce quod nobis dulce pependit onus,
Quod fuit horrenda toties uibice notatum
Dũ facis, ah miserans, crimina nostra tua,
Ipse per hunc rogito te clementissime amorem
Heu nimis afflicti iam miserere mei,
Aspice, quàm miserum diuexent tormina mille:
Aspice quàm mœstis torquear ipse modis,
Omnia sunt male amica mihi, sunt omnia dura,
Omnia fallaci fraude, doloq; scatent,

Insi-

Insidijs me hostes uafri irretire laborant,
Et fugunt falsis, falsa piacla, sonis,
Non secus ac clauso lupus insidiatur ouili,
Sic ut me capiant lumina torua gerunt,
Prô dolor, ac fidos fore quos mihi rebar amicos,
Hi uarias technas nocte dieq; struunt.
Vt me pessundent sua per mendacia pulsum,
Nullum iam lapidem non sinè fine mouent.
Me miserum, quid agam, quò mé Deus optime uertam,
Si non uis precibus dexter adesse meis?
Heu timeo, ne me Tabes consumat amara,
Vt sim Tartareis præda uoranda focis.
Verum spes animum poterit fulcire labantem,
Quæ meminit, quàm tu sis piëtatis amans.
Ad te igitur iam nunc lacrumãtia lumina tollo,
Qui potes his solis me recreare malis.
Ad te flebilibus singultibus aëra rumpens,
Clamo ô prædulcis, uoce tremente, parens.
Atq; mihi ut parcas per hiantia uulnera quæso,
Vulnera præcipuis nobilitata bonis.
In queîs me abscõdas, tantisper, maxime rector,
Horrida tempestas dum sinè mora furit.
Nè Mens agminibus tandem hæc labefacta malorum

Concidat, aut solida de ratione ruat:
Sed se sydereas tollat, ceu fumus ad arceis:
Hic, ubi tu Diuis es pater alma quies.
Omnia tu siquidem nosti, tibi pectora nostra
Cognita, sunt oculis peruia cuncta tuis.
Tu scis innocuam Vatis, iustißime, uitam,
Cui nihil hic unquam te sinè dulce fuit.
Tu scis quàm pacis fuerim studiosus amœnæ,
Nullius affectans ambitiosus opes.
Ergò hæ prætereant, fælici Sole, procellæ,
Et redeat, sed te dante, serena dies.
Tum tibi persoluet meritas mea uenula grates,
Tum fuero laudis buccina clara tuæ.
Prætereà quicquid concepero pectore dulce,
Id meritò posthac seruiet omne tibi.
Dum uita superabo mea, dum spiritus artus
Hos reget, usq; tibi carmina sancta canam.
Fallor an ipse dabis longè maiora petitis?
Fallor an optatis plus dare sponte soles?
Sæpè soles fateor concedere maxima quæq;,
Ipse tamen parua hac sorte beatus ero.

Oda ad Christum pro republica nostra, seu Ecclesia.

Pro-

O roles corde Dei sata,
Vox æterna patris Mens, Sapientia,
Supra nubila considens:
Si fas est mihi te Conditor alloqui,
Sponsam respicias tuam:
Sponsam, quam proprio sanguine uēdicas,
Quæ clamat quæremonijs,
Ad te mœsta patrem lacrimulis madens,
Ah audi gemitus precum.
Nam tu solus ei suppetias feras,
Solum te uigil aspicit.
Iratus meritò forsitan es, tamen
Iræ haud solue repagula.
Olim fluctiuago iura dabas mari,
Nutu flamina comprimens,
Vndis & medijs eripiens Petrum,
Mandabas tibi fideret.
En tua concutitur turbine Filia,
Olim sydere pulchrior.
Da laßæ nimium candida brachia,
Et mentum cape dextera.
Fletu nam propè nunc lumina perdidit,
Te dum perpetuum uocat,
Hanc cœlo facie conspice blandula,
Et ne differ opem tuam.

Ast aureis precibus supplicis admoue,
O rerum columen Deus,
Tecum uiuere amat, te sequitur libens,
Qui cunctis opulentior
Es, forma renitens insaturabili.
Te uult, te sitit anxia.
An non ista uides, qui pius árbiter
Coram perspicis omnia?
In mentem Pater ô iam ueniat precor,
Quàm dulcis fuerit tibi,
Pro qua terribili morte peremptus es,
Pendens in cruce flebilis.
Hanc si non adamas, quò rapuit se amor,
Qui te duxit ab æthere?
Hostes eccè ruunt per uetitum nefas,
Persers & nimium diu.
Sæuitum satis est, ò Deus, optime,
Durat Barbaries nimis.
Refrenato pater, quæso, licentiam,
Hostem fulmine concute:
Ne terræ liquidum misceat æthera,
Et Nymphæ pereat nitor.
Neu sic improbulus gaudeat in sinu,
Vt ridens crepet horrida.
Sed fac flos redeat, purpureus rosæ,

Albea

Albenteis decorans genas.
    Donetur stabili sponsaq; gloria,
Qua filix solet ingredi:
    Primæuisq; tibi floreat hic bonis,
Vt clarum meditans decus,
    Excelso feriat sydera carmine.
Dulceis atq; modos canat,
    Lætis uisceribus, cœlicolûm melos.
Dextro Numine conferas
    Illi, pastores: qui tibi subditi,
Non querant sua commoda,
    Sed te, remq; tuam mille laboribus.
Da nos cernere Principes
    Plenos ætherei munere spiritus,
Hunc, per quem, populum regant:
    Vt plebs ista tuum sit uenerans patrem,
Tecum qui Deus omnia,
    Illustrat facie Sole micantior.

ODA

AMEN.

ODA TROCHAICA, ARHIlochia tetrametra catalectica in psalmum, Dominus illuminatio mea & salus & constatque ijs modis, quibus Crux fidelis inter omnes, cuius suauitas D. Thomam Aquinatem, aliosq; multos præstanteis viros planè fefellit

PAnge Dauidis beati dulce, lingua, cãticum,
Fretus ipso q; canebat sacrosancto spiritu:
Nil reformidãs phalangas hostiũ teterrimas.
Est salus, & lumen felix, hic Deus ter optimus,
Est mihi roburq; uitæ, quo nihil sit fortius:
Ergo quem iam nunc timerem, me quis aut perterreat?
Dũ propinquãt huc nocẽtes, uictitare carnibus
Appetunt meis uoraces, ast abacti corruũt,
Et mihi quod comparabant, hoc luẽbant pessimi.
Castra si me territabunt, cor meũ non concidet,
Prælium si pullulabit, mente stabo strenua:
Non furor, nõ uis malorum me trucidans opprimet.

Tot

Tot bonis iam recreatus, id modis uel omnibus
Expeto, iam pace parta concinendis laudibus
In domo Dei ut quiescam, cum pijs suauiter.
Illic nam manu potenti, me abdit orbis arbiter,
In latebris ædis altæ, donec illi procidant:
Qui mihi de corde malo gannientes inuident.
Immolabo gratiosas gaudiorum uictimas:
Et canam Deo supremo, cum tubis, tum tympanis,
Cantica, hymnos & suaueis, cum melo prænobili.
Quandò nomen inuocabo iam tuum sacerrimum,
Da parens ô sempiterne, te colam perenniter
Idq; non ex congelato, feruido sed pectore.
Hinc tuum uultum nitentem, ne precor nunc amoue:
Nec sinas me sespitare nocte cæca deuius
Sed salute quam dedisti continenter floream.
Me pater me mater ipsa, prô dolor, dulcißima,
Ab reliquit sustinentem Sortis has angustias:
At me Deus sic recepit, ut salutis anchora.
Tu uias me sanctiores, ambulare prouidum,
Nunc uelis sacer creator, ne premant me testium

Ora, uerbis felle tinctis, & ueneno perlitis,
Cor mihi iam concidisset, tot malis heu obrutum,
Vita ni me subleuasset, spero quam pulcherrimam:
Quò dolor nec mors amara, uis nec ulla conuolet.
Fide semper roboranti corda summo Numini,
Totus & Deo recumbens, cuncta fac uiriliter;
In diemq; sis paratus, quisquis es nouissimum.

ODA PARAPHRASTICA IN Psalmum LVI. Miserere mei Deus miserere mei, quoniam &c. Est autem gratiarum actio.

Te fleto ueniam da pater unice,
Ah tandemq; mei iam miserescito:
Nam te tota requirit
Mens, & spiritus hic meus.
In dulci gremio molliculi sinus,
Vmbra subq; tuæ ritè potentiæ,
Lætus deliciabor:
Donec dispereat scelus.

Inclama

Inclamabo Deum, si mereor modò,
Qui rerum decus est, & columen mihi:
Et me ex æthere spectat,
Huc huc nunc referam pedem.
De cœlo specimen misit & inclytum
Candoris, fuit & murus aheneus,
Quo cunctos mihi strauit
Hosteis fulmine perditos.
Seruo misit opem, misit amabile
Verum, præripuit, de catulis leæ,
Hanc dulcem modò uitam,
Dormiui miser anxius.
Est natura hominum pestifera, & ferox,
Dentes sunt illi Martia spicula,
Et tristis, uelut ensis,
Aedit lingua piacula.
Tu conuexa Deus, tu pete fulgida,
Nostræ delitiæ lumen es, & iubar.
Turbas tolle malorum,
Vt crescat tua gloria.
Nectebant pedibus retia pendulis,
Me parui, ut caperent more, lepusculi,
Foderuntq; cauernas,
In quas corruit illa fex.
Est hoc summe Deus cor tibi deditum,

Est hoc cor, pater ô, flexile, flexile,
Semper carmina promam,
Semper te cythara canam.
Nunc dilecte rogo surge age, mi decor,
Responsio *Exurge è tenebris lux mea, mel meum.*
Surgam mane Phalange,
Fusa, me uiolantium.
Te clarum uarijs undiq; gentibus,
Te notum faciam pectine eburneo:
Quanquam soluere dignas
Grates, non opis est meæ.
Nam quis te melior? quis generosior,
Cuius terra scatet, cuius & æthera
Implentur bonitate,
Quam testantur & inferi?
Iam te extolle Deus, me ô mihi charior,
Suprà sydeream fulgidus orbitam.
Te cælestia adorent,
Tellus det tibi gloriam.

Paraphrasis in psalmum 67. Deus misereatur nostri, etc. Hoc genere vnice cō stat delectatum fuisse Horatium.

Ser-

Seruet benigne cœlicolûm parens,
Quos & creauit, nutrit & affatim:
His luce uultus splendicante,
Ex animis tenebras propellet.
Author salutis luminis & dator,
Emitte cœlis unigenam tuam:
Illuminatorem decorum,
Iusticiæ, fideiq; patronum.
Sit nota terris omnibus ut uia,
Quæ ducit altos æthæris ad globos:
Necnon domum illam sempiternam,
Sola quies ubi tu uocaris.
Totum per orbem nomen amabile
Splendescat, eius, te duce, filij,
Ara in crucis qui nos redemit,
Sanguine purpureo respersus.
Grates agant iam nunc populi tui,
Hymnos canant & te celebrent simul,
Et gaudio gentes alantur:
Quippe preces adamas tuorum.
Nutris sacri nos Numine spiritus,
Tu nationes, heu pietas, uagas,
Et colliges ad te uocando,
Et dabis ipse pijs Iesum.
Hinc gratias & reddere uictimas,

Omnes uolent tum perpetuas tibi:
Hinc occinent laudeis beati,
Atq; dabunt decora alta regum,
Sic terra, dudum, quæ sterilis fuit,
Fœcunda, tandem semina proferet:
Quæ melleos reddant sapores,
Eximiosq; ferant honores.
Nobis precetur tam genitor benè,
Nobis benignè quàm soboles facit.
Flatus sacer nos nos utriq;
Iungat amore piè calenti.
Salue Deorum, maximè mi Deus,
Ex cuius alto fonte uelut scatet
Felicitas, omnisq; splendor:
Respice nos propius creator.
Distincta stellis regia te quidem
Nouit, sed, oro, floridula coma,
Te nouerit tellus, amoreis,
Delitiasq; suas perenneis.

Oda. laboris quippiam aggressuri. Carmen Iambicum trimetrum.

Re-

Rerum Deus creator, ô ter maxime,
Defensor omnium tibi fidentium:
Rex, & pater fons uiuę totius boni,
Quàm iustus es, quàm sanctus, atq; amabilis:
Nam quod iubes & imperas, est utile,
Gratum, suaue, dulce, delectabile.
Tu solus es fiducia, ac decus meum:
Quem mirus ordo syderum cœlestium
Mentem supremam uoce clara prædicat.
Ah me uide, nec iam morêris amplius:
Sed spiritu uultus tui me recrea,
Et tolle brumam pectoris, quæso, mei,
Ac Sole me tuo micante perpetim
Perfunde, cum sis luminator cordium,
Et inuocari prorsus à tuis uelis,
Dona pater te laudibus cœlo efferam,
Vt nil agam tibi Deo quod displicet:
Sed dirigas sic hoc opus, precor meum,
Quod auspicor tibi perenni gloriæ:
Ac maximo fratri meo sit commodo.
Sit & mihi tuo saluti filio,
Post hos labores ut quietem consequar,
Et cœlitum fruar beatus, gaudijs.

Oratio iter facientis, Iambico Dimetro.

O robur, & salus mea,
Harum sator rerum Deus,
Seruum pater dulcißime,
Me me tuum nunc aspice.
Tu gloriosior Deus,
Mundi es redemptor, quàm sator:
Nam uoce condis omnia,
Verùm cruore nos beas.
O spes deus mœrentium,
Virtus & ægrotantium,
Et laus amica flantium,
Quibus feram te laudibus?
Tûne interes semper meis
Dictis, & actionibus?
Quapropter ah decus meum,
Clementia me dirigas.
Ne uel pedes, uel hæ manus
Vnquàm labascāt, seu cadant,
Semper tibi sed seruiant,
Grateis ferentes debitas.
Tu solus es soli satis,
Solus mihi tu complaces,
Tu lux es, & spes unica,
Gratumq; solamen mihi.
Tendo manus tibi supplices,

O flos,

O flos, & ô lumen meum:
Ah nunc pias clientuli
Aureis querelis adhibe.
En lynceus me conspice,
Vias euntem lubricas:
Et redde puri Numinis,
Me delibutum gratia.
Illumina tenebras meas,
Virtutis incendens faceis.
Splendore lucis optimae,
Firma labansq; corculum.
Vt hoc iter sit prosperum,
Sit dulce, sitq; amabile:
Ne mortis ambulans uiam,
A te, pater mi, deserar.
Nec deuiare me sinas,
Per tesqua dumis obsita,
Ab hac uia quae sedulos
Perducit ad coelestia.
Sic Tobias clarissimus,
Ductore te reductus est;
Deflexa propter flumina,
Oras ad ipsas patriae.
Plebem tibi gratissimam,
In Solis umbra ductitans:

Tu rorulenta coelitus,
Illi dedisti pabula.
Quid hic canam Diuos Magos?
E sedibus quos patrijs,
Clarum micante sydere,
Humileis uocabas ad lares?
Sic me tuo sic Numine,
Ducas per hæc discrimina,
Ne tot uiarum anfractibus,
Disiungar à te mi Deus.
Duc me, reduc & si placet,
O ductor, & lux lucida,
Tãdem ut queam, te iudice,
Vitam beatam ducere.
Et expia me sanguine
Gnati tui charißimi:
Qui factus est nobis quidẽ,
Plenißima expiatio.
Tum gestient præ gaudio
Corpus, simul Mens et mea,
Lætabor, & tum maximè:
Pallore cum Mors me obruit.

Oratio periculosissimè ægrotantis ad Deum Opt. Max.

Sum-

Summe Deus, Diuine Pater, pulcherrime cœli
Conditor & terræ: Mens ô clarißima rerum
Istarum, qua cuncta uigent, qua cuncta mouentur:
Vnica nostra salus, spes, uirtus, gloria, splendor,
Qui super astrigeros cœli septemplicis orbes
Et resides, & terrarum moderaris habenas:
Hûc ades ô pater, & quo conspicis omnia uultu
Respice me blando, Eia age respice, respice, quæso,
Me seruum pater alme tuum, iam extrema ferentem.
Quàmuis indignos uix ausim attollere ocellos,
Ad te quem toties per multa piacula læsi:
Hûc tamen, hûc ad me faciem conuerte parumper.
O pater atq; audi gemebundo ex ore fluenteis
Has miseras uoceis, quas fundo pectore anhelo:
Tu me conceptum, tu me uel origine prima
Noxa fœdatum nosti genitricis ab aluo:
Quotidieq; uides sceleri scelus addere ineptè,
Attamen hunc uenia mauis, quàm uerbere dignum:
Ah miserate meos nimium Deus alme dolores,
Ipse per unigenam, modò te tua uiscera Natum,

(Qui sinè matre Deus, qui & homo uerus sine patre,
Insons oppetijt manibus, quas ipse creârat:
Vt uel morte sua nos redderet immortaleis)
Obsecro, nunc mihi confer opem auxilij omnis egeno:
Nunc deploratis, nunc nunc da surgere rebus.
Eia age rumpe moras, cruciatus aspice nostri
Tormenta, & miserere mei commissa fatentis:
Ista tamen, si ferre iubet tua sancta uoluntas,
Me pater haud renuo : præsto sum in utrumq; paratus.
Illud ego tete supplex super omnia tantum,
Dña rogo, ne destituas in fine clientem:
Neu me permittas ad inania uota uolutum,
Linquere te, fontemq; boni uitamq; perennem.
Ast hic illustres sacro mea pectora flatu,
Ne efficiant Mundi, Carnis, uel Veiouis iræ:
Vt præ te fugienda sequar, perituraq; adorem:
Sed mihi post obitum monstres illa egregia ora,
Ora quibus Diui supera exaturantur in aula:
Ora incredibili dulcedine circumfusa,

Iambicum dimetrum ægrotantis Poëtæ ad amiculos.

Iam-

Quid Sors amara sic furis?
Quid me modis & millibus
Torques, & isto languidum
Morbo insolenter enecas?
Succurre Luxenburgia,
Accurre tuq; Hollandia,
Et me sua ui lumine,
Vt assoles, nunc recrea.
O si meis capacibus
Rysuice Susi, brachijs,
Splintere, teq; ab Osteuijck.
Vos nunc queam circundare.
At iam ualete, ocelluli,
Et clara uerè pectora:
Perq; ora mille gentium,
Volate quæso prosperi.
Cur Princiane, non uenis
Repente, Monticola meo
Stipatus, ah uir integer,
Confer medelam deprecor.
Vbi nunc latet Tylingius,
Et Sonneueldius meus.
Harlere dic Formerio,
Opem ferat mî blandulam.
Surene uir clarißime.

Heros à Rysuijck.
Heros ab Ostreuyck
Mathias Princianus
Nicolaus Mõticula.
Theodorus Teilingius.
Guilelmus Sonneueldius.
Louinus ab Harler.
Martinus Formerius.
Ioannes Surenus.
Theodorus Cornhart.

Corn-

Cornharte splendidißime:
Adsitis ah iam iam fugit,
Extremus en hic halitus.

Theodori Houæi, Pater & frater. Otto à Myrob. Rutgeras Maurus. Iacobus Blondelius veldrus. Ioannes Campenius. Gerardus Antonius. Vincentius à Ven. Hoc genus docto catulo fuit in delitijs.

Vale pater dulcißime,
Theodore frater & pie:
Viue & uale non amplius,
Fortaßè me uisurus es.
Tu Maure, tuq; ottonule,
Valete cum Blondelio.
Tu Geldre pergratū decus,
Me plange uoce flebili.
Viuat meus Campenius,
Hic fidus & Gerardulus,
Vincentiusq; Venius.
Reddat perenneis lacrumas.
Vestri memor mens libera
Concretione lubrica,
Hæc usq; perdurauerit,
Sedes beatas incolens.

Hymnus pulcherrimus ad Deum opt. max.

PHARECRATIVM.

Magne

Magne cœlicolum Pater,
Orbis author & arbiter,
Qui ſedens ſolio ſacro,
Fundis eximium iubar,
Dum moues caput altum:
Dum moues ſacra tempora,
Cincta purpureis roſis,
Floribusq; micantia,
Ridet quicquid in æthere,
Te uidet Genitorem.
Cœlites celebrant quidem
Concinuntq; perennibus,
Te Deus pie laudibus:
Et nomen reſonant tuum,
Vocibus modulantes.
At quid ô decus arduum,
Nos crepemus amabile
Canticum, & uarium melos:
Qui meri ſumus exules,
Valle in hac lacrumarum.
Cernis ut mala plurima
Nos premant Pater undiq;.
Cernis ut uia lubrica,
Hos pedes agat in locum
Hinc & hinc ſalebroſum.

Inui-

Inuidus uiden' ut furit
Hostis? & caro turbida?
Ira, spes, metus, & dolor,
Deuorare medullitus
En student tua membra.

Quare qui potes omnia,
Vis & haud minus optima,
Nos ô nos precor aspice,
Candidoq; animo pias
Has preces cape lætus.

Qualis in thala modomus,
Sol fugat procul aurea
Luce, non nebulas modo,
Sed refert radijs quoq;
Dulce lumen in oras.

Talis es scelus auferens,
O pater simul & fouens
Corda Numine lucidi
Flatus, Hoc rogo dulciter
Desuper modò stilles.

Vt colant homines magis,
Te Deum niuea fide,
Ne timore cadant, tubæ
Cùm canent Taratantara,
Mundus atq; peribit.

HYM-

HYMNVS DEIPARAE VIRgini sacer, constatq́; ijsdem modis quibus ille, qui Ausonio ascribitur: O quàm glorifica luce coruscas. etc.

SAlue uirgineo mater honore,
Salue tergemino uirgo decore:
Quæ Nato genitrix, Filia patri,
Sancto Spiritui sponsa fuisti:
Quæ iam syderijs pulchrior astris,
Splendes aureolis clara corollis:
Quam nunc aligeri, plumipedesq́;,
Sexcenti Genij floribus ornant.
Hinc stipata rosis, atq; Amaranthis
Incedis Pharios Diua liquores
Spirans, & niuea ueste coruscans,
Pergratos obiter fundis odores.
Salue magna parens digna Tonante,
Quæ Christum Dominum peruia nulli
Profers, in gelidas aëris auras.
Et claudis gremio cuncta uidentem.
Ex te factus homo conditor æui,
Processit teneram lapsus in aluum:

Qui

Qui nos purpureo sanguine lauit.
Qui nos uiuifica morte redemit.
Quem mox uirgineis corripis ulnis,
Et donas niueis pulchra papillis,
Flentem ipsum recreans carmine blando,
In quo nostra salus tota recumbit.
Fœlix ô animi, fausta laborum,
Lactas uberibus, foreq; dulci,
Illiusq; labris oscula figis,
Qui cum Patre suo sydera torquet.

Vita beata ad clarissimum virum, D. Viglium Præsidem.

Vitam, quæ faciunt beatiorem,
Hæc sunt haud dubiè diserte Vigli:
Fœlix cognitio parentis orbis,
Cultus Numinis integer triformis:
Incorrupta fides, amor benignus
Supremi Patris, infimiq; fratris.
Recti conscia Mens sibi, & pudica,
Corpus seruitio Dei dicatum.
Venter sobrius, abstinens palatum,
Cor æquabile, non tamen proteruum.
Christum fac uideant pares ocelli,

Hunc

Hunc & constituas tuos lepôres:
Nec non delitias sacras, piasq;,
Et quouis tibi melle dulciores:
Sic optare queas, diem supremum:
Et nullum placidus timere fatum.

FINIS.

EPITHALAMIVM CHRISTI, piæq; animæ cœlum intrantis, Scriptum in gratiam præstantissimi viri, D. Mormillonij Præpositi Ariensis.

Ecce aderat promissa dies, qua dulcis Iesus
Dilectam uoluit fragili de carcere sponsam
Eruere, atq; suos tandem concedere honores:
En citius dicto facileis sine corpore Vitæ
Adsunt innumeræ, nutum expectātq; potentē.
Ite, ait, ô mea progenies, petite infima terræ
Viscera, formosamq; animā, quā prodigus emi
Sanguine, conuincēs per dulcia uulnera mortē,
Huc ad cœlesteis tandem perducite sedes.
Nostis enim, ut fuerit uestigia nostra secuta,
Quamuis sæpè foret mortali fece grauata,
Vsqueadeò haud piguit propriæ inuigilare saluti:
Nilq; intentatum, pariter nil liquit inausum,
Vt mihi posthabitis posset confidere rebus.
Sic ait, & pennata cohors rata dicta repentè
Efficit, atq; alis pernicibus aëra tranat.
Exacta ut æstate, cauis dum bruma fenestris

Inume-

Imminet, anseribus contingit sæpe canoris,
Vnanimes olli metuentes frigora nubeis
Peruolitant, calidasq; adeunt rauco agmine terras:
Sic petit ille chorus iucundo murmure spōsam.
Insuper & prædilecti mandata tonantis
Exequitur, duroq; animam sub fasce gemētem
Sic molli affatur demulcens carmine pectus:
Ille opifex rerum, quo nil diuinius usquam,
Qui te cœlesti decorauit imagine uultus,
Ipse sui, ut reliquis princeps animantibus esses,
Iussit nos fragili te corpore soluere Nympha,
Ac monstrare uiam tibi, qua pellucida adires
Sydera, & ardēteis peteres decora ardua cœli,
Colluuie ex hominum, & lacrumarum ista conualle.
O igitur formosa ueni pulcherrima transi,
De morte ad uitam, uiden ut tibi militet æther,
Seq; statim pandant cœli radiantia tecta,
Te pater omnipotens, Diuorum destinat oris.
O speciosa ueni, uenias animosa uirago.
Obstupuit primum, gratæ licet omnia pacis
Signa forēt, pauidæ spōsæ ceciditq; metu mens:
Quod sperare sibi tantum non ausa fuisset,
Ac ueluti dubio dum sulcat Nauita uento

Immensos pelagi tractus, fluctusq́; sonoros
Exigua in cymba, tum si fortè horrida nymbis
Tempestas oritur, tollitq; ad sydera monteis
Vndarum, miser in prora stat corde gelato:
Ille & stridentes horrescens ætheris auras,
Supplicibus superos uotis persæpè fatigat:
Sic timor Algificus Spõsæ quoq; repsit in artus:
Mox tamen, ut nubes animi uigor ipse remouit,
Alipedem agnouitq; gregem sibi reddita tandẽ:
Exuit humanos artus, moribundaq́; membra,
Aethereasq́; animæ petijt fax nobilis oras,
Quam fausti Genij diuersis floribus ornant:
Deín texunt gracileis humeros, & eburnea membra,
Aurata tunica gemmis lepidè intertextis,
Et super induitur fulgenti murice palla,
Purpureus limbus, quam picturatus obibat:
In quo cernere erant nostri certamina Christi,
Vt tulerit nobis claros ex hoste triumphos.
Non aurum digitis, capiti non florea serta:
Nec deërant niueo fabrefacta monilia collo.
Hinc per inane uolens, rapidis secat æthera pennis,
Plumidumq́; stupet pulchrè iam cincta corona,
Se uolitare polo, uolucreis miratur & alas,

Quas

Quas & relligio, & piëtas cōnectere norant.
Dum conuexa petit, dum sydera clara subintrat.
Auricomi crines grata ceruice fluebant,
Ambrosiosq; iacit coelesti Nectare odores:
Et circum latè ægregios iaculatur honores.
At Genij intereà cytharam, chordasq; loquētes
Dulciter & digitis, & bonoro pectine pulsant.
Mox ubi peruentum est, ad celsa palatia summi
Aetheris, atq; iuuat sedes habitare quiëtas,
Et luteas liquisse domos, uidet aurea templa:
Templa uel humanos multum superātia sensus;
Illa coruscanteis oculos circum omnia uoluens,
Cernit eū, qui cūcta uidet, qui cuncta gubernat,
Illius & Natum, quondam de lumine lumen,
Mente Patris genitum, quo nil formosius extat.
Dumq; nequit chara sese saturare figura,
Corruit in faciem supplex geminasq; tetendit,
Cum lacrumis palmas, & pectore fatur ab imo:
Perpetuas grates indulgentissime Rector
Reddo ancilla tibi, tantæ ad fastigia laudis,
Quòd famulam uehis ipse tuam, quin undè mereri,
Aut sperare equidem potui dulcissime tantum.
Nam mortalis eram, non est mortale, quod eccè,
Nūc teneo. Verū ô ubi sum? qd et ô [illegible] us hoc est?

Allusum est ad opinionē Platonicorū, qui animæ duas has ce alas affingunt.

Christus ante omnia secula à Patre genitus.

Iſta quidem ſuperant animos, ſenſusq; caducos.
Ergonè ſic facie nunquã exſatiabor amœna?
Ergonè ſic uultu ſemper ſaturabor amato?
Vndè mihi hæc cœlo tempeſtas clara ſereno?
Vndè mihi tam magna mei indulgentia ſponſi?
Tum Sponſæ tergens oculos formoſus Ieſus,
Oſcula mellitis infigit mille labellis:
Aureolo ſimul in ſolio locat, & iubet omnes
Cœlicolæ aſſurgãt, charæ & gratentur amicæ.
Mox cum uirgineo longè pulcherrima cœtu
Tergeminũ genitrix, ſimul et q̃ Nata gygantẽ,
Aedidit intactis meritò prælata puellis:
Dulcis adeſt Maria, atq; alij longo ordine Ciues
Præſto adſunt Superi, quæ ſancta, & plurima turba eſt.
Cœleſteis libant epulas, celebrantq; choreas
Aeternas, pars ſiſtra ferit, pars aurea fila,
Et mouet, & dulcẽ reſonãt, per carmina Ieſum.
Felices omnes, fælici Numine pleni,
Tunc ſic ex alti ſonuit uox culmine tecti:
O dilecta Deo, cœli decus Heroïna,
Concipe nunc auido placidiſsima gaudia corde,
Ac tua pertentet modò pectora uera uoluptas,
Vt diſcas laudare Deum, laudare Parentem
Rerum, & ſublimeis illi perſoluere grateis.

An-

Annuit ipse tibi cælestûm Numine Ductor
Aetheris immensi, semper uiridantia Tempe.
O dilecta Deo Christi decus Heroina,
Fortunata operum, fœlix, ac læta laborum
Terrea terrigenis linquens, quæ libera cœlum
Incolis, atq; infrà despectans omnia risu:
Iam secura mali nobiscum tuta quiescis:
Ac propter dulceis resides Dea fluminis undas,
Quæ tibi mellifluos mira dulcedine rores
Effundunt, sponsumq; tibi alto fœdere iungunt.
O dilecta Deo, Christi decus Heroina.
Quæ iam præmolli complexu cuncta fouentem
Et retines, & inaudita modò sorte beata.
Nil nisi læticiam tædis felicibus aucta,
Et tecum placidos gaudens meditaris amores.
O dilecta Deo Christi decus Heroina,
Agmina cœlicolûm perlustras lumine dulci,
Multos & numeras olim tibi nomine notos.
At uiden, inter eos, ut eat Rex Carolus ille Carolus Quintus.
Austriacus? uirtute, fide, & præstantibus actis
Illatus cœlo? uiden ut sua tempora Myrto
Exornet Cæsar? roseo & spectabilis ore,
Semper adest radijs illi fulgentibus agno:
Morte sua nobis peperit, qui munera uitæ?

Huic Diuum generi, dictu mirabile, eunti
Syderææ patuere fores, patuere recessus:
Quod multos hominum prudens subduxerat orco:
Olim terrarum Dominus, nunc incola cœli.
Huic, precor, egregium uigeat per secula nomen,
Cui fasces dedit ipsa suos pulcherrima Roma.
O dilecta Deo Christi decus Heroïna,
Quod superest, uotis iam nunc, & mente sequemur
Te, quæ perfrueris Diuino munere formæ:
Quales aligeri pendent ab imagine Vultus
Christe tui, & rapiunt lætæ solatia mentis:
Quæ semper uigeant, quæ nulla obliteret ætas.
O quis uobiscum tandem me sedibus illis
Sistat, & insigni Diuorum protegat umbra?
Id satis, atq; super fuerit, nihil adprecor ultra.

Preces, vt vocant, horariæ de salutifera Cruce.

HORA MATVTINA.

REx Christe mundi Conditor,
Qui nocte captus es uolens:
Ac es ligatus uinculis,

Vt sol-

Vt solueres nos undiq;:
Des, quæso, uero in lumine
Nos ambulare prouidos,
Mentis tenebras & fuga,
Vultu tuo clarißimo.
Tu lux es, & Sol aureus,
Nunquam latens, nec occidens.
Hūc mitte præclarißima
Cœlestis oris fulgura.

HORA PRIMA.

Felix imago maximi
Patris, Pilato iudici
Qui sacro sanctus sisteris,
Aurora dum lucem fugat.
Dona piè nomen tuum
Colentibus, ne, mi Deus,
Causa cadamus, cùm micans,
Nos iudicatum ueneris.
Sistamur at tunc dexteri,
Vt te queamus cernere
Pium Patronum, non trucem,
Quanquam meremur, iudicem.

HORA TERTIA.

O splendor, & spes unica,
Hora diei tertia.

Qui morte condemnatus es,
Et baiulas crucem tuam.
Concede nobis prospera
Via, sequi te sedulò:
Amaror ut duræ crucis,
Dulcescat in membris tuis.
Tecum pati sit omnibus
Gratum, suaue, amabile,
Congaudeamus ut tibi,
Olim tui in regno patris.

HORA SEXTA.

Hora, tuorum gratia,
Sexta, caput qui spinulis
Perfossus es, cuius manus
Sacri pedes fixiq; sunt:
Nobis leuamen & salus,
Sis & manes felicitas,
O brachijs complectere
Nos, obuijs, quos deperis.
Nobis ut usq; mortui,
Viuamus, ut decet, tibi.
Te lingua solum concinat,
Excelsa te Mens ardeat.

HORA NONA.

Salue parens ter optime,

O Chri-

O Christe, qui iam spiritum
Incomparabilem patri,
Emittis ab tam dulciter,
Fac Numini ueras tuo
Hic hic agamus gratias:
In fulgida mox cœlitum,
Cernamus ut te regia.
Da morte uicta degere
Sinu tuo reconditos,
Dum transeant hæc turbida
Mundi uafri spiramina.

HORA VESPERTINA.

Corpus tuum deponitur
Sacer creator uesperi,
Altæ crucis de stipite,
Sinuq; matris conditur.
O me foue complexibus,
Dulcis redemptor blandulis,
Et spiritu fac irrigas,
Hæc corda quamuis arida.
Vt prorsus ex te pendeam,
Te nouerim, te diligam:
Qui das tuis pulcherrimam
Vitæ perennis gloriam.

HORA COMPLETORII.

En Sol cubile dum petit,
Corpus datur dulcißimum.
Humo, die quod tertia
Surrexit ornatißime.
Tibi uelis sic commori,
Nos, Nate sublimis Dei,
Tecum fac & resurgere
Ad sempiterna gaudia.
Vbi fideles Nectare
Pascis benignus, ac tuo
Vultu beas eos sacro,
Quorum saluti consulis.

Dialogus, Hexametro ac Iambico trimetro constans, in quo Echo &, Vates colloquuntur.

VATES. *Dic Dea, quam toties frondosa per auia nobis*
Audire, sed uidere nondum contigit,
Dū peragro monteis, gelidas dū transeo ualleis
Quà Sura prædulci rapit sese alueo,
Dic, rogo, dic Vati tandem resonabilis Echo.
Terrena cur pectus meum sic aggrauant?
Non potero felix, hic uno uiuere Christo?

EC-

ECHO. Isto. VATES. Quid ergò plura mens desideras?
Cur non hoc ditas te flumine? ECHO. Lumine. VATES. Cur non
Te rebus oblectas Dei pijs? ECHO. ijs.
VATES. Christus enim tibi det veræ decora inclyta laudis.
ECHO. Audis? VATES. At hæc caduca, quid iam diligis?
Nunc sponsam cole, quæso, tuum: qui te facit immortalem.
ECHO. Talem? VATES. modò claram ambias hanc gratiam
Dic quoq; nunc tandem uacuis è uallibus Echo,
Est hæc ne cunctis expetenda uita? ECHO. Ità.
VATES. Nulla igitur uis est animi mortalibus ægris,
Caduca tantum corde qui sperant sibi:
Atq; Dei prorsus nullo stimulantur amore.
ECHO. Ore. VATES. Id scio uani licet secus crepent.
O utinam ad Christum redeant tandem furiosi.
ECHO. O si. VATES. referrent hinc enim clarum decus.
Prò dolor, incessu non hùc uadunt uiolento.

ECHO.

ECHO. Lento. VATES. uoluptas ipsa sic eos
rapit.
Mens pia, sed uulgi facilè mala somnia prodit,
ECHO. Odit. VATES. Nec id miror, licet mi-
rabile,
Nā sacra turba cubat Christi, sub mollibus alis,
Hic constituta. ECHO. Tuta. VATES. Nil iu-
cundius.
Ergò quid Mundi uano præponis amori?
ECHO. Mori. VATES. In Dei forsan pijs am-
plexibus:
Sed uideo his nullos tangi. ECHO. Angi. VA-
TES. Atq; igne peruri.
ECHO. Vri. VATES. medullas deuorante. EC-
HO. antè VATES. Ah dolor
Siccinè uulgus amat fortunam? ECHO. Vnam.
VATES. Attamen ista
Nulli fuit saluti. ECHO. uti. VATES. Deus
solet.
At ualeat uulgus, dic at mihi murmure dulci
Ec quandò liuor uictus, hinc tandem mihi
Cedet? ECHO. edet. VATES. bona uerba pre-
cor, fera bellua Vatis
Depasceret uoranda nunquam uiscera?
Me miserum, non ista placent miserabilis Echo.

Et

Et hercle ob id dolore uix spirauero.
ECHO. Vero, VATES. Dij melius mens gau-
deat. ECHO. Audeat VATES. Atqui
Audere quid posset uel in tam lubrica?
At celso me posse animo mala uincere narras?
ECHO. Erras. VATES. Quid ergò conferat
audacia,
Præstiterit Domino modulari uoce canora?
ECHO. Ora. VATES. Deus fons bonorum uber
rime, (beis,
Qui supra æthereos resides ter maximus or-
Humana mens quo celsius nil concipit:
Huc ades ô Pater, atq; tuorum illabere fibris,
Flagrare da tuosq; sancto spiritu.
Tu decus es nostrum, requies tu certa laborum.
Prædulcis & spes, & salus optabilis,
In laudẽ Deus alme tuam uaga lingua loquatur,
Mens te uelit Patrem, simulq; Iudicem,
Effice perpetua tandem pietate uirenteis,
Nos dirigat semper tua dextera,
Inuidia ac procul hinc alio sub sydere degat:
Nec corda uexet, mi pater, te amantium.
Vt te futilium celebrem liuore sepulto,
Qui me modis exulcerauit pessimis.
Conserues etiam terrarum lumina Reges,

Et

Et principes qui te uerentur unicum,
Nos quoq; cœlicolùm iungas Deus *optime cœstris,*
ECHO. *Astris.* VATES. *Quis hæc tam magna, quæso, postulet?*
Sed, rogo, sancte pater propius rem conspice nostram
Et da pijs leuamen. ECHO. *Amen.* VATES. *Quin age*
Mi Vati concede tuo defigere mentem
Cœlo, nec hoc sinas luto collabi. ECHO. *Abi.*

FINIS.

